



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum I. De Peregrinationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

TITULUS XXXIV.

DE VOTO, ET VOTI REDEMPTIONE.



Quandoquidem antea de Regularibus, & solenni eorum professionis voto dictum fuit, idem nunc agitur de Voto generatim.

fringit, qui in melius commutat *c. 3. de jurejurando*; sin autem opus melius non sit, in quod commutatio fieri petitur, vel non sit evidenter melius, tunc opus est auctoritate Superioris, uti docet *Sanchez l. 1. moral. c. 4. c. 49. n. 7.*

CAPITULUM I.

De Peregrinationis.

PARAPHRASIS.

Quæsitum fuit ex Alex. III. num vota peregrinationis, occurrente necessitate, elemosynis redimi, vel in aliud opus bonum commutari possit. Respondetur, id pertinere ad judicium Superioris, sive Prælati, qui considerat personæ voventis qualitate, & causâ commutandi, cognoscat videlicet, num ob infirmitatem, vel copiam divitiarum, aliâve causam melior sit futura, Deoque gratior peregrinatio, an commutatio, & ita commutat aut dispense, vel non dispense.

SUMMARIUM.

Ad Superiores Ecclesiasticos spectat de jure communi, & ordinario, causâ cognitâ in votis dispensare.

Notandum. Ad Superiorem Ecclesiasticum, videlicet Episcopum, aliûmque prælatum, simili erga suos potestate præditum, pertinere causâ cognitâ dispensare in votis, aut ea commutare. Hanc rem plenè tradidi *l. 4. t. 4. c. 8. ubi etiam dixi n. 19.* si opus, in quod commutatio voti faciendâ videtur, evidenter melius, Deoque acceptius sit, etiam proprio voventis arbitrio posse commutari, quia promissum non in-

fringit, qui in melius commutat *c. 3. de jurejurando*; sin autem opus melius non sit, in quod commutatio fieri petitur, vel non sit evidenter melius, tunc opus est auctoritate Superioris, uti docet *Sanchez l. 1. moral. c. 4. c. 49. n. 7.*


Adde, quòd præter Prælatos, seu ordinarios, potestas commutandi in votis competere quoque possit per viam delegationis, seu privilegij, v. g. Religiosis Ordinum, prout dixi *in cit. c. 8. n. 20. & 24.* item quòd in ejusmodi commissione, seu privilegio, quantumvis generaliter dato, non comprehendantur quinque vota, quæ speciali ratione Papæ reservata sunt, dixi *n. 7. §. porro s.*

CAPITULUM II.

Venientis.

PARAPHRASIS.

Quidam R. nomine proposuit Alex. III. quòd ipse olim in ætate puerili disposuerit, imò (ut ex subsequentiis colligitur) voverit Jerosolymam proficisci, & idem alicui, qui sepulchrum Domini visitare constituerat, fidem dedit, & vicissim ab eo recepit, quòd in via fideles invicem socij, & comites existere vellent. Pontifex considerans, quòd in ætate tenera, facilitate potius, quàm ex discretionis arbitrio promiserit, à voto eum absolvit, injungens, ut votum elemosynis redimat, & juxta consilium Papæ toto vitæ tempore uni pauperum semper, dummodo facultates ejus sufficiant, debeat providere.



H h 3

SUM-